

pollicitus . At quæ sibi adversari tum in eisdem divinis Libris , tum apud veteres Patres novit , aut dissimulavit , aut levi brachio excusavit . Proposita autem Romanæ Ecclesiæ sententia , Sanctorum Animabus purgatis aditum in Cœlum , ac Visionem Dei tribuente : *Deus bone !* is exclamat pag. 59. unde desumpta sunt hæc verba ? Ex quo Libro sacræ Scripturæ ? ex quibus monumentis primitivæ Ecclesiæ ? Immo is vix credenda temeritate pag. 74. unum Stapletonum adducens ait : *Pontificii ( quorum interest maxime , ut Cælo , Gloria , & Visione Dei fruatur Sancti ante Resurrectionem ) fatentur , Patres generatim ea de re nobiscum convenire .* Ridendum sane , liceat primo dicere , exclamationem . Risisset & Burnetus Arianum exclamantem : *Bone Deus ! unde desumpta vox Homousios , sive Consubstantialis ? ex quo sacræ Scripturæ Libro ? quibus e monumentis primitivæ Ecclesiæ ?* Risisset quoque Macedonianum , Nestorianum , Euthychianum , aliosque id genus a Catholica Ecclesia damnatos , si Ecclesiæ insultassent , quod in decretis adversus illos promulgatis verba adhibuisset , neque in Scripturis Sacris , neque a Patribus antea diserte usurpata . Dum res in Divinis Libris continetur , aut inde recte educatur , aut per legitimam veterum Traditionem ad nos veniat : stulte de Vocibus incatur contentio . Nam si in Libris divinitus conscriptis dogmata quæque conceptis verbis traderentur , nulla fortassis emergeret de iis disputatio . Porro quam longe ab æquitate abcesserit Burnetus , dum pro se *Patres generatim* citare jactitat , & , quod gravius est , id *sincere* Catholicos fateri pronuntiat , in superiori certamine jam palam factus fuit . Quos ille pro se laudat , aut nullius esse ponderis deprehendimus , quoties a Catholica Ecclesia dissentiant , aut ipsos plerumque invenimus cum ipsius Ecclesiæ Catholicæ sententia omnino concordēs . Nos contra , *nubem testium* , ut ait Apostolus , hoc est ingentem Ecclesiasticorum Scriptorum cœtum produximus , eosque in Ecclesia præstantiores & doctiores , majorisque nominis , præcones magnificos ejusdem doctrinæ , quam tandem Florentinum Concilium postremo calculo probavit . Atqui sunt ex antiquis nonnulli , qui aliter , quam nunc creditur , sensisse videntur . An ita sit , expende primo . Tum etiamsi id statuas memineras oportet , & aliis erroribus ab Ecclesia proscriptis aliquem non defuisse antea patronum , quem nempe nondum ad Ecclesiæ examen rite deducta fuerat controversia , & liberum cuique erat in re nondum definita , quam vellet , opinionem amplecti . Immo nullus error , nulla hæresis prodiit unquam , cui non varia Scripturarum loca militare ab earum propolis existimata fuerint . At nunquid obstitit , aut obstare debuit paucorum contraria opinio , aut apparatus ille e Scripturis male petitus , quo minus Ecclesia communem melioremque Traditionem sequuta , quod foret veritati magis consonum , decerneret ? *Consensionem sequemur , si in ipsa vetustate , omnium , vel PENE OMNIUM Sacerdotum pariter & Magistrorum definitiones sententiasque tenemus :* inquit , & quidem egregie , Vicefilius Lirinensis ep.